



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput V. Regulæ Morum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

CAPUT V.

Regulæ Morum.

§. I.

*De prima & proxima actuum humano-
rum Regula.*

Prima ac suprema actuum humanorum regula est Lex Dei æterna, quæ dicitur à S. Thoma, *Ratio Divina Sapientiæ omnia in finem debitum dirigentis*; & à S. August. *Summa ratio, cui obtemperandum est*. Hæc enim sola ex se indefectibilis est, & universalis in regulando ac dirigendo, in cuius virtute omnis alia regula dirigit, juxta illud Pl. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Sunt equidem alii, qui aliam regulam æterna Dei lege suo modo priorem assignant, nempe convenientiam cum natura rationali, ut rationalis est: sic actus aliqui, uti cultus Dei, decent naturam rationalem; alii, ut odium Dei, illam dedecent ante omnem aliam legem; unde aliqua dicuntur præcipi, quia honesta: alia prohiberi, quia inhonesta.

Nihilominus tamen hæc condignitas & exigentia, ut aliqua præcipiantur, alia prohibeantur, non videntur esse regula formalis: quia nempe, ut ait S. Thom. Lex & regula est quædam ordinatio rationis ad bonum; sine ratione autem non datur ordinatio rationis, quamvis dari possit fundamentum ordinationis. Ratio autem humana est defectibilis; ergo assignari debet ratio, & dictamen Divinum, quod omnia secundum condignitatem rectissime ac sanctissime ordinat. Et hæc est prima regula ex se determinatissima ad præcipiendum, quidquid exigit præcipi, & prohibendum, quidquid exigit prohiberi; & quæ habent talem exigentiam radicalem, dicuntur præcepta aut prohibita lege Divina naturali, sique contra hanc agatur, fiunt mala malitia formali. Si talem exigentiam non habeant, & prohibeantur, evadunt mala malitia formali, quia prohibita lege positiva. Sed hoc ipsum reducit ad legem Dei naturalem & æternam: etenim lex Dei naturalis & æterna hoc ipsum dicat, videlicet non esse faciendum, quod fieri prohibetur per legem aliquam positivam ac temporalem, siue Divinam, siue etiam humanam, à legitima potestate institutam: ergo Lex Dei æterna est prima ac suprema morum regula.

Proxima verò & immediata actuum humanorum regula, est ipsum dictamen conscientie, quod in nobis est per modum iudicii practici, dictantis voluntati, quid sit bonum, quidve malum. Ita S. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6. *Regula, inquit, voluntatis humanæ est duplex, una propinqua & homogenea, scilicet humana ratio: alia verò est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei*. Licet enim creaturæ irrationales habeant principium dirigens extrinsecum, ut regula dirigens sagittam in scopum non est in sagitta, sed in sagittante; creaturæ tamen rationales seipsas dirigunt. Voluntas autem, cum sit cæca, non aliter dirigitur, quam per rationis humanæ lumen, quæ ratio, ut ait S. Thomas derivatur à lege æterna, tanquam propria ipsius imago. Unde lex æter-

H h h

na

na promulgatur quasi, nobisque innotescit per rationem nostram seu conscientiam: quare prout voluntas se conformaverit, vel non conformaverit huic regulæ dictanti, aliquid esse honestum vel inhonestum, actio etiam erit honesta vel inhonesta. Nota hic, rationem nostram non vocari conscientiam, quando præcisè speculatur; sed tantum quando voluntas per illam ad praxim tendit. Nota 2. Varios distingui conscientiæ status, præcipuè septem, nempe conscientia recta, prava, probabilis, dubia, certa, scrupulosa, & erronea, de quibus Theologi.

Ex hac gemina morum regula, aliæ derivantur plures, prout fusiùs explicant, qui legis aut juris divisiones exponunt. Nam præter jus naturale, quod non dependet à voluntate libera, sed immediatè ligat naturam rationalem per legem illam Dei naturalem, necessariam ac æternam, superiùs explicatam: aliud est jus positivum, quod pendet ex libera voluntate Dei vel creaturæ; unde aliud est Divinum, quod Deus ipse liberè dictavit, uti fuit Lex antiqua olim Judæis data, nunc Lex nova per Christum Christianis tradita: Aliud humanum; atque istud vel Canonicum, in ordine ad gubernationem Ecclesiæ; vel Civile in ordine ad regimen politicum Reipublicæ: quod utrumque varias iterum subdivisiones habet. Inter jus naturale & positivum quasi medium est jus Gentium: nam istud ita pendet à libera hominum voluntate, ut tamen fundetur in aliqua necessitate hominibus in societate viventibus communi; adeoque exigitur à vita hominum sociali, proinde Gentium usu & moribus introductum est per modum legis præceptivæ aut permissivæ; quo jure introducta sunt bella, paces, fœdera, contractus bene multi, & similia ad vitam socialem necessariam, inter quæ plures numerant primam rerum divisionem. Quæ omnia eò tendunt, ut vitam vivamus rationali nature conformem, Deo debitum tribuamus cultum, pacem & justitiam servemus Christianam, ac omnium salutem prospiciamus, tandemque ad finem nostrum beatitudinis æternæ perveniamus.

§. II.

De Lege humana & Regimine politico.

Non solum Lex naturalis & Divina, sed etiam positiva humana; (nisi puerè poenalis sit) postquam ritè lata est, promulgata ac divulgata, habetque conditiones requisitas, quæ quatuor ab Isidoro numerantur, ut nempe constet ratione, ut religioni conveniat, ut congruat disciplinæ, ut saluti proficiat: talis inquam, Lex subditos obligat in conscientia, uti definitum est in Conc. Const. & Trid. juxta illud Apost. ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et paulo post: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam.*

Ratio, unde facultas condendi leges, desumpta ex Philos. 1. Polit. & explicata à S. Thom. opusc. 20. de Regim. Principum, duobus principis continetur. Primum est, hominem esse naturæ suæ animal sociale, & naturaliter appetere in communitate vivere; cum enim non sit sibi sufficiens in omnibus, quæ

quæ ad humanam vitam pertinent, & pluribus indigeat, quibus ipse est destitutus, naturaliter postulat ab aliis adjuvari. Aliud principium est, in communitate perfecta hominum necessariam esse potestatem gubernativam ejusdem communitatis: cum enim aliud sit bonum particulare, quod ut congruum singulis sibi provident homines particulares, in communitate viventes; & aliud bonum commune totius communitatis, requiritur facultas aliqua gubernativa, curam habens de hoc bono communi; aliàs populus in diversa dispergeretur, juxta illud Sapientis prov. 11. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Hæc autem gubernatio melius fieri non potest, quam per leges & regulam stabilem.

Facultas porrò condendi leges, si Ecclesiasticæ sint, residet in capite totius Ecclesiæ, summo Pontifice, quem suum in terris Vicarium constituit Christus, cum potestate solvendi & ligandi: & hæc potestas est amplissima, se extendens per totam Ecclesiam. Habent etiam Prælati quidam inferiores potestatem condendi leges obligantes particulare aliquod territorium: Tales sunt Legati summi Pontificis in provincia suæ legationis, Episcopi in sua diœcesi, ut fufius explicatur in Jure Canonico.

Potestas legislativa civilis competit illi, qui supremam habet jurisdictionem, tum directivam, tum coactivam, in communitate perfecta. Etenim sola potestas directiva non esset satis ad publicum bonum communitatis, & esset inefficax, nisi posset cogere ad observantiam legis, & punire transgressores. Communitas etiam debet esse perfecta, uti est civitas, regnum &c. in qua reperitur commune bonum: ad condendas enim leges non sufficit potestas oeconomica, aut dominativa mariti in uxorem, domini in servum, patris in filios, qui præcipiendo imperant, non gubernant condendo leges, quæ non nisi in communitate perfecta locum habent. Denique jurisdictio debet esse suprema; quia quæcunque potestas politica non sufficit ad ferendas leges, ut patet in iudicibus ordinariis, gubernatoribus &c. qui jurisdictionem habent, non tamen possunt ferre leges: requiritur ergo quædam principalis & primaria potestas; quia condere legem est unus ex præcipuis actibus gubernationis.

Si quæras, ex quo capite oriatur suprema hæc jurisdictio in quibusdam hominibus supra alios? Resp. hanc potestatem civilem primariam ex sola rei natura in nullo singulari homine reperiri; quia ex natura rei omnes homines nascuntur liberi, neque est potior ratio, cur uni potius quàm alteri tribuenda sit politica jurisdictio super alios; sed reperitur in ipsa collectione hominum, communitatem perfectam constituentium: statim enim ac homines uniuntur in unum corpus politicum, resultat in ipso potestas regendi seipsum, eo cum proportionemodo, quo statim ac homo nascitur, & pervenit ad usum rationis, habet potestatem in seipsum, in suas facultates, & membra corporis. Quamvis tamen hæc potestas civilis in genere sit ex natura rei in prædicto corpore politico; determinatio tamen ad unum potius, quàm alium gubernationis & regiminis modum, est ex arbitrio humano: supposito tamen, quòd aliquam formam elegerint, v.g. supposito, quòd Regem constituerint, non possunt amplius pro arbitrio illum deponere, & mutare formam regiminis; quia transfereudo supremam potestatem in Regem, jam se illi subjecerunt, & priori libertate privarunt. Adde etiam, quòd aliquando communitas aliqua præter ipsius voluntatem cogi possit ad acceptandam particularem formam regiminis, v. g. principatum regium, quod contingere potest per accidens, & in poenam,

ut cum contra ipsam comittitur bellum justum, eaque subijcitur dominio Victoris.

Quando autem liceat agere contra val præter verba legis, id ostendit virtus, quam Philosophus Epichiam appellavit, alii Æqualitatem dixere. Cum nempe spectatis omnibus, quæ Legislator humanus prævidere non potuit, aut singillatim excipere, judicamus ex æquitate hic & nunc legem non obligare, uti verba sonant.

§. III.

Formæ variæ regiminis Politici.

Tres distingui solent simpliciores Reipublicæ gerendæ rationes, ad quas regimen omne revocatur. Primò enim, si summa potestas in unum tantum collata sit, tunc dicitur Monarchia seu regimen Monarchicum, & qui præest, dicitur Monarcha: & hic quidem suo in subditos imperio nominatur, vel Imperator ab imperando, vel Rex à regendo, vel Dux à ducendo, vel alio quovis nomine, quod Principi conveniat, appellatur. Ut autem verum sit regnum, debet, qui præest, Monarcha communem respicere utilitatem; si enim Monarchia utilitatem duntaxat Monarchæ spectet, ab Aristotele Tyrannis nuncupatur, & qui præest, Tyrannus dicitur.

2. Si ab aliquibus Civitas administretur, iisque virtute & dignitate spectatis Viris, qui Reipublicæ magis, quam suo commodo consulant, dicitur Aristocratia, id est, Optimatum imperium. Si verò pauci illi divitiis magis, quam virtute sint spectabiles, resque privatas studeant potius, quam publicas promovere, Oligarchia vocatur, seu paucorum divitum dominatus.

3. Si verò à Concilio quodam, in quo quilibet à Populo jus habet suffragii, Respublica gubernetur, Politia seu Plebeja Auctoritas nominatur, quæ definitur Imperium multitudinis communem utilitatem spectans, quale fuit in Romano Imperio in exordio. Hæc Politia communiter Democratia vocatur, licet ab aliquibus Democratia tunc dicatur, quando non communis, sed tenuiorum duntaxat spectatur utilitas; ab aliis tamen potius Ochlocratia dicitur.

Ex his patet, tres istas reipublicæ gerendæ rationes, Monarchiam scilicet, Aristocratiam, & Politiam Democraticam, habere tres alias sibi oppositas, easque corruptas, nimirum Tyrannidem, Oligarchiam, & Ochlocratiam; & generali nomine Anarchiam. Ex istis regimen Monarchicum per se loquendo præstantius est, & hoc in sua Ecclesia instituit Christus, qui suo in terris Vicario supremam contulit potestatem, cui reliqua Ecclesiæ membra tanquam supremo Capiti se submittere debent. Quia verò in statu Civili, ubi non est promissa infallibilis assistentia Spiritus sancti, difficile est in homine tot & tales animi dotes invenire, quales in Monarcha requiruntur, putant multi, regimen mixtum ex monarchico, aristocratico, & politico, seu, uti dicunt, monarchiam ex aristocratia & politia temperatam ceteris præstare.

Sed quaecumque demum sit regimen, hoc dicere possumus de Principe, seu supremo Reipublicæ Magistratu, quocumque demum nomine vocetur, Eum obligari ad procurandum, quantum in ipso est, bonum temporale ac spiri-

spirituale populi sibi à Deo commissi, eamque tantum ob rem datam ei esse potestatem condendi leges, puniendi fontes, tributa imponendi, aliæque id genus faciendi, quæ ad bonam reipublicæ administrationem pertinent, ut constat tum ex cap. 13. Ep. ad Rom. tum ex cap. 6. Sap. ubi sic habetur: *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placentis vobis in turbis nationum; quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis Ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis &c.*

§. IV.

Gubernatio Oeconomica familie.

Quæ spectant ad familiam rectè gubernandam, & mutua in ea officia, docet Oeconomica, dum tradit, quæ ratione Coniuges inter se, Parentes cum Liberis, & Domini cum Servis habere se debeant. De ethica hac materia eleganter scripsit D. Pourchod, quam generalia tradendo principia paucis complectemur.

Imprimis igitur conjugalis societas inter virum unum, & uxorem unam vigere oportet, quæ ut arctior sit & firmior, non tantum amore mutuo coniungi, sed mutuo honore firmari debet; nam *Mulieres honore maritorum erigimus*, inquiunt Imperatores in Codice: ita tamen ut uxor marito subdita sit, juxta illud Apostoli ad Ephes. 3. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris.* Imperium porro viri in uxorem non debet esse despoticum, sed politicum: ex quo fit, ut eam tanquam sociam, non tanquam ancillam habere debeat; neque enim uxor ex capite, aut pedibus virieducta est, sed ex latere, ut neque primatum sibi vindicet, nec ancillæ loco habeatur. Unde Apost. loco cit. statim ad viros sermonem convertit: *Viri diligite uxores vestras -- qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Et hanc Dei providentiam admiratur Arist. lib. 1. Oeconomicorum; quod scilicet societatem viri & uxoris sic instituerit, ut, quamvis diversa sint utriusque munera, in unum tamen finem, nempe in bonum familiæ conspirent, quasi ab una eademque persona gererentur.

2. Uti Parentes ea Liberis præstare debent, quæ vitam consequuntur, conservationem scilicet & educationem; ita vicissim Liberi Parentibus debent honorem, amorem, obedientiam, auxilium. Itaque Parentes sedulò curare debent, ut ea habeant liberi, quæ ad vitam sunt necessaria, atque etiam ut iis, quantum possunt, in futurum prospiciant. Plutarchus & Favorinus matres admonent, ut infantes proprio lacte nutrant, non alienis uberibus alendos amandent, ne vinculum illud coagulūque animi, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindant. Cum porro vita hæc non qualiscunque, sed humana esse debeat, liberis bonam educationem parentes debent; ante omnia supremi Numinis notitiam, cultum & amorem verbo ac exemplo debent eis inspirare: dein ei disciplinæ eos tradere, quæ cujusque indoli ac statui convenientissima videtur: verbo, nihil eorum negligere, quæ ad optimam Liberorum institutionem faciunt, ut isti, quantum in illis est, habeant, quo commodè, honestè, ac religiosè vitam agant temporalem, & post hanc consequantur æternam.

Hinc autem patet, quàm grati in parentes debeant esse liberi, cùm illis, uti notat Arist. lib. 8. Eth. c. ult. par referre nunquam possint. Summa nempe debet esse Liberorum in Parentes pietas, quia quicquid habent liberi, illud omne à parentibus, aut certè parentum operâ à Deo acceperunt. Quare, ut dicebam, amorem iis, & obsequium, & honorem, & reverentiam, & tamentum præstare debent: quam officii vicissitudinem, *Antipelaygiam* dixere Græci, ut quemadmodum Ciconia, quæ græcè *pelaygos* appellatur, parentes senio confectos alere, & deficientes in via alis suis sustinere memoratur; ita homines eodem in progenitores suos affectu moveantur, iisque præsertim in senili infirmitate subsidium ferant.

3. Quoniam in familia multa sunt officia, quæ Parentibus aut liberis non satis conveniunt, necessarii sunt famuli, ut res familiaris ritè administretur. Hæc autem societas duobus continetur, scilicet imperio domini, & obsequio servi. Utriusque obligationes explicat Apostolus: primò enim Dominos sic alloquitur ad Coloss. 4. *Domini, quod justum est, & æquum, servis præstate.* Æquum verò est, ut ipsis victus præstetur, & merces pacta reddatur, Deinde in operis, quæ ab ipsis exiguntur, non secus ac in poenis, quibus castigantur, modus est adhibendus. Denique ipsorum etiam moribus ac salutis invigilandum, juxta illud Apost. ad Tim. 5. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, Fidem negavit; & est infideli deterior.*

Servorum in Dominos officia complectitur idem Apostolus ad Eph. 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate servientes, sicut Domino.* Ex quibus patet, famulos aliosque subditos teneri suis Dominis & Superioribus, quos Domini loco habere debent, præstare amorem, reverentiam, fidelitatem, & obedientiam in iis, quæ justè præcipiuntur.

Quod denique spectat ad *Utricam*, seu facultatem possessivam, curandum in quavis familia semper est, ut quæcunque acquiruntur bona temporalia, ea jure semper, & secundum leges absque cujusque detrimento acquirantur, & legitimè parta conserventur, ut qui successuri sunt, ea habeant subsidia, quæ à bono Patrefamilias expectari possunt, atque in his modus & decorum ubique servetur.

